


Georg Mejer   Hermannus Clausingius


## **Disputatio X. Collegii Metaphysici : De Causa Et Causato**

Rostochii: Myliandrus, 1610

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729122484>**

Druck   Freier  Zugang






57

R. U. phil. 1609. 10.

12 gyl.

35 1717





DISPUTATIO X.  
COLLEGII METAPHYSICI  
DE  
CAUSA ET  
CAUSATO

Quam  
AUSPICE CHRISTO  
*In alma Rosarum Academia*


PRÆSIDE  
M. GEORGIO MEIERO  
Duderstad. Sax.

*Defendendam suscipiet*  
HERMANNUS CLAUSINGIUS  
Hervord. VVestph.

*Ad diem 3. Octobr. horis pomeridianis.*

---

ROSTOCHII  
Ex Typographia Stephani Myliandri  
Anno c15 15 CX.





## DE CAUSA ET CAU- SATO.

### Theorema I.

Causarum consideratio jure ad Metaphysicam refertur.

**H**Actenus de affectionibus Entis unitis, qua simpliciter cum Ente convertuntur, sufficienter a. Etum fuit: sequuntur disjuncta, qua non simpliciter, sed disjunctim sumpta cum Ente convertuntur. Dico enim: Omne Ens est vel causa, vel causatum.

II. Quia igitur causa affectiones sunt Entis, rectè in Metaphysicis de iisdem agi statuimus. Quis enim affectiones à subjecto suo divelleret? De subjecto & affectionibus subjecti in una eademque scientia est agendum.

III. Contendunt vero Ramai causarum pertractationem non ad Metaphysicam, sed Logicam spectare, duabus potissimum rationibus moti. Inquiunt enim 1. Logicam esse disciplinam universalem & generalem, ideoque etiam generalem causarum considerationem sibi vendicare. 2. Causas vim habere arguendi: Illud vero omne ad Logicam pertinere, quod vim habet arguendi, cum id quod arguit, argumentum sit.

IV. Verum haud rectè sentiunt Ramai. Ut enim ad argumentum eorum primum respondeamus, illud nullo nititur fundamento. Nam si propterea de causis in Logica est agendum, quod sit disciplina



disciplina generalis, non tantum de causis: verum etiam de Ente ac  
ceteris Entis affectionibus in ea agendum esset, quod tamen fieri  
non debet, neque etiam a quoquam unquam factum est. Nullus enim  
Logicorum quod sciam, egit in Logica de Ente, quatenus est Ens  
de uno: de vero: de bono: de actu: de potentia & similibus. Præterea  
non unam tantum habemus disciplinam generalem, sed duas, Lo-  
gicam nempe unam, & Metaphysicam alteram. Illa est intentio-  
nalis: hæc realis, ideoque minimè confundenda. Agat, igitur Meta-  
physica de rebus ipsis, sive notionibus primis: Logica de rerum con-  
ceptibus, sive notionibus secundis. Ad alterum respondemus,  
vim arguendi causis saltem per accidens inesse, quatenus conside-  
rantur ut argumenta: non vero per se, quatenus ut causa. Causa  
enim à causando, non arguendo dicitur: ideoque etiam in sequenti  
theoremate definitur, quod sit principium importans influxum  
realem ad esse causati: non vero id, quod ad aliquid arguendum  
sit affectum. Ut sicco interim, quod dicitur pede præteream, quod  
si arguere esset de essentia causarum, necessario sequatur, & reli-  
qua argumenta omnia, qua habet Ramus in Logicis suis, causas  
esse, quia & ipsa arguunt, quod tamen Ramus hæud facile conce-  
dent. Sic enim colligimus: Quæ essentia conveniunt, non differ-  
runt. Atqui causa & reliqua argumenta essentia conveniunt,  
qua consistit in arguendo, & non differunt. Et per consequens, o-  
mnia argumenta erunt causa.

### Theorema II.

Causa est principium, quod importat in-  
fluxum realem ad esse causati.

Loco generis in descriptione causa ponitur principium, quo in-  
nuitur causam & principium hic non simpliciter pro ipsa accipi,  
sed ratione ambitus distingui, quia principium latius est: causa.  
Omnis siquidem causa est principium, sed non contra, omne prin-  
cipium.

cipium est causa. Differentia loco habetur influxus realis ad esse causati. Ubi notandum est, vocabulum influxus non propriissime accipi pro eo tantum, quod internè rem constituit, sic enim sola forma & materia cause essent: sed latè prout ea etiam respicit, qua externè rem constituere dicuntur, atq; sit efficiens etiam & finis causa dicuntur.

### Theorema III.

Causarum quædam sunt externæ; quædam internæ.

I. Respicit divisio hac causas, qua per se causa dicuntur, non qua per accidens. De causis enim per accidens hic solliciti non sumus. Causa igitur per se dicuntur vel externa, vel interna. Illa sunt, qua extra sunt essentiam rei, ut efficiens & finis: ha qua essentiam rei ingrediuntur, eamq; constituunt, ut materia & forma. Patet itaq; quod quatuor sint causa per se: efficiens nimirum, materia, forma & finis.

II Dubium hic oritur, utrum etiam causarum divisio tradita à nobis, sit legitima: cum haud raro causa efficiens etiam, qua tamen externa est & dicitur, essentiam rei ingredi videatur. E.g. ratio qua causa est efficiens risibilitatis in homine, essentiam hominis ingreditur, eamq; constituit, quia forma: ideoq; rectè etiam causa interna dici potest: Dicimus v. in vocabulo interni homonymiam latere, quod aliquando pro eo sumitur, quod in eodem, cum effectu suo est subjecto: nonnunquam vero pro eo, & quidem magis propriè, quod essentiam ingreditur causati. Priori modo causa efficiens dici potest interna: sed non posteriori. Sic ratio in eodem quidem, cum risibilitate est subjecto, quod est homo: sed tamen non ingreditur essentiam risibilitatis, cuius est causa efficiens: Est enim ratio distincta à risibilitate. Quomodo igitur ratio pro diverso respectu dici potest & forma, & efficiens: sic quoq; pro diverso respectu dici potest & causa interna & externa: Interna

respectu hominis, cuius est forma: externa respectu risibilitatis,  
cuius est causa efficiens.

III. Sunt qui quaternarij causarum numero non contenti  
alias adijciunt, causam videlicet, quam vocant sine qua non, &  
causam exemplarem. Verum causa sine qua non propriè lo-  
quendo causa non est, quia definitio causa ei non competit: nullam  
enim vim habet causandi. Cui autem non convenit definitio,  
eidem nec definitum competit. Nil aliud proinde causam sine  
qua non, esse statuimus, quam circumstantiam sive conditionem a-  
liquam ad causati productionem necessariam, etiamsi nullam  
causandi vim habeat. Formam exemplarem quod attinet, di-  
cimus eam referri ad causam efficientem, & quidem instrumen-  
talem. Est enim exemplar nihil aliud, quam imago, ad quam  
efficiens causa principalis effectum suum efformat.

#### Theorema IV.

Causa efficiens est id, unde primum fit  
mutationis principium. Aristot. lib. 5. Met.  
cap. 2. & lib. 2. Phys c. 3.

I. Mutationis voce videtur Philosophus tantum intellexisse  
motum Physicum, ac proinde definiisse causam efficientem natu-  
ralem. Si quis igitur sub eadem definitionem, creationem quoque  
redigere voluerit, necessum est, ut pro voce mutationis cum Re-  
centioribus vocem actionis substituat.

II. Varijs autem modis causa efficiens dividitur. 1. In pri-  
mam & secundam. Illa est, qua à nulla alia dependet, ut Deus:  
hac, qua à prima dependet, ut creatura. 2. In univocam & equivoca-  
m. Illa est qua effectum producit ejusdem speciei. Sic homo ge-  
nerat hominem: hac, qua effectum producit diversa speciei. Sic  
Sol è putri terra producit murem. 3. In principalem & minus prin-

principalem. Principalis principaliter effectum producit. Sic ar-  
 chitectus causa dicitur principalis adium. Minus principalis est,  
 à qua effectus tantum secundario dependet. Atq; hac subdividi-  
 tur in impulsivam & instrumentalem. Impulsiva est, qua cau-  
 sam efficientem principalem ad agendum impellit. Et est vel  
 αερε & ερλην vel αερενυαυδον. Illa est, qua exterius irritat agen-  
 tem ad faciendum quicquam. Sic occasio est causa αερε & ερλην  
 committendi furtum: hac, qua interius agentem ad agendum ali-  
 quid irritat. Sic appetitus & incontinentia est causa αερενυαυδον  
 ejusdem furti, & aliorum scelerum. Causa instrumentalis est, qua  
 ad effectum producendum à principali dirigitur. Sic securis dicitur  
 causa instrumentalis adium. 4. In naturalem & voluntaria-  
 riam. Illa est, qua ex solo instinctu natura semper eodem modo a-  
 git. Sic ignis semper urit: hac, qua cum deliberatione, ideoq; non  
 semper eodem modo agit. Sic homo deliberando agit, & pro-  
 pterea agere, vel actionem suspendere potest. 5. In remotam  
 & proximam. Illa est, à qua effectus dependet remotè. Sic Sol di-  
 citur causa remota hominis: hac, à qua effectum proximè & im-  
 mediatè dependet. Sic homo hominis causa est proxima. 6. Tan-  
 dem efficientium causarum alia sunt essentialiter sibi invicem  
 subordinata, alia accidentaliter. Illa sunt, quando inferior à supe-  
 riori per se ac essentialiter dependet. Talis subordinatio datur in-  
 ter patrem & filium: ha vero, quando inferior à superiori non per  
 se, sed per accidens dependet. Atq; hujusmodi subordinatio da-  
 tur inter patrem & filij actiones.

### Theorema V.

Materia est principium, ex quo inexistente  
 aliquid fit. Arist. lib. 5. Met. c. 2. & lib. 2. Physic.  
 cap. 3.

I. Com.

I. Contra materiam obijci potest, quod, cum non sit actu, causa esse nequeat. Ens vero esse in potentia materiam, manifestum est, quia propriam existentiam non habet, sed eandem à forma accipit. Actu igitur quod non est, quomodo ad productionem causati concurrere potest? Verum distinguitur inter actum, & Ens actu. Materia licet non sit Ens actu: est tamen actus, tribuitur enim ipsi actus Entitativus, quia & suam habet Entitatem, quamvis debilem, & non est planè nihil. Hinc pulchrè Scalig. exerc. 17. Materia suam esse, asserit, quidditatem, qua est aliquid, & aliud ab alijs. Et circa finem ejusdem exerc. potentiam materia non esse relationem, sed Entitatem absolutam. Imò negat, simpliciter verum esse, materiam non esse Ens actu. Non est (inquit loco eodem) materia in potentia ad suum esse, quod ipse sibi est per suam essentiam: sed ad esse hoc tale, quod est ab alio. Est enim principium naturæ: est formarum fundamentum; subjectum cujusq. mutationis primum.

II. Dividitur materia in primam & secundam. Materia prima duplicem obtinet considerationem: vel enim in se absolute consideratur, quatenus est Ens, & sic à Philosopho lib. 7. Met. cap. 3. hisce verbis definitur: λέγω ἡ ὄντων, ἢ καὶ αὐτῶν μήτε τι, μήτε ποσόν. μήτε ἄλλο μηδὲν λέγεσθαι, οἷς ὡρεσθαι τὸ ὄν, qua definitio purè negativa est, quia non dicit, quid sit materia prima: sed quid non sit, ob summam scilicet Entitatis, qua in ea reperitur, exiguitatem & debilitatem. Rectè enim inquit Scal. exerc. 240. sect. 1. Unum est summum simplex, quia nullius indigens est. Contra, Unum simplex imum, quia omnium indigens est. ille Deus: hac materia prima. Et exer. 359. sect. 12. Materia prima tota fugit mentis nostra captum suâ obscuritate atq. humilitate: Vel respectu generationis materia prima consideratur, quatenus est principium corporum naturalium, atq. sic definitur τὸ πρῶτον ὑποκείμενον ἐκείνων, ἐξ ἧς γινεσθαι τι ἐνοπίστον, & μὴ εἶναι συμπεθεῖνός. Aristot. lib. 1. Phys. c. 9. Materia secunda nihil aliud est, Theo-

### Theorema VI.

Non in omni Ente creato reperitur materia.

Quis enim angelos ex materia constare affirmabit, quos tamen creata Entia esse, nemo inficiatur? Quis accidentia, qua licet creata propriè non vocentur, rebus concreata tamen rectè dicuntur, materiata appellabit? Nec rationes, quibus theorema nostrum confirmatur, desunt. In quocunque enim reperitur materia, illud in varias partes dirimi & secari potest: Materia enim partem habet extra partem, & divisibilitatis causa est. Non omne vero Ens in partes dividi posse, manifestum est. Præterea materiatum quod est, quantum est, quia quantitas insequitur materiam, non secus, ac qualitas formam. Jam v. non omne Ens quantum est: quia quantitas affectio tantum est corporis naturalis. Nullum itaq; Ens præter corpus naturale est quantum. Tandem materia tantum reperitur in substantijs corporeis, sive materiatis: non incorporeis, sive immateriatis. Qui itaq; materiam rebus immateriatis & incorporeis tribuit, rebus inanimatis animam tribuit.

### Theorema VII.

Forma est, quæ rei largitur esse.

I. Το εἶδ' ἐστὶν ὁ λόγος τῆς πρὶν εἶναι, inquit Philosophus lib. 3. Met. cap. 2. & lib. 2. Phys. cap. 3. Respicit autem Philosophus nostram cognitionem, exprimens illud, quod per formam de essentia rerum concipimus. Nos vero ad modum causandi, qui forma competit, attendimus.

II. Non autem materiam in constitutione compositi simpliciter excludimus. Sed quia materia per suam naturam ex aquo se habet ad omne compositum constituendum: sola autem forma eam determinat, & restringit, ut ad hoc solum, non ad aliud concurrat,

B

essen-

essentia qua in compositio est, merito forma: accepta ferenda est.  
III. Formam dispeſcimus in substantialem & accidentalem.  
Substantialis substantijs largitur essentiam. Accidentalis duplici-  
ter accipitur: vel pro eo, quod ab extra rei imponitur. Sic formosi-  
tas dicitur forma accidentalis hominis: vel pro eo, quod essentiam  
accidentium constituit. Quamvis autem forma hæc accidentalis  
sit, non substantialis, quia non substantiam, sed accidens constituit,  
juxta illud: Nihil agit supra vires suas: accidentibus tamen essen-  
tialis est. Et quia materiã destituuntur accidentia, in definitione  
eorundem loco generis hæc forma semper exprimitur.

### Theorema VIII.

Non omnis forma substantialis est spi-  
ritus.

I. Omnem formam substantialem, & sic lapidis etiam formam  
spiritum esse, hæc deductione ostendi posse videtur: Forma aut. est  
nihil, aut aliquid. Sed non est nihil. Ergo aliquid. Si aliquid, erit  
Ens: quia omne aliquid est Ens. Si Ens, erit vel substantia, vel ac-  
cidens. Atqui non est accidens, quia omnis forma substantialis  
est in categoria substantia. Ergo substantia. Si substantia, erit  
vel corpus, vel spiritus: quia omnis substantia dividitur in corpo-  
reã, & incorporeã: illa est corpus: hæc spiritus. Nulla au-  
tem forma est corpus, aliã enim corpus informaretur à corpore,  
quod est absurdum. Relinquitur ergo, quod omnis forma substan-  
tialis sit spiritus.

II. Caterum spiritum lapidis formam quis appellabit? Hoc qui  
facit, vitam & intelligentiam ei tribuere necessum habet, cum o-  
mnis spiritus vita & intelligentia particeps sit & compos. Dicimus  
ergo omnem quidem formam substantialem esse aliquid esse Ens,  
esse substantiam: sed non completam: verum incompletam. Sub-  
stantia

stantia ergo prius in completam & incompletam, quam in corpoream & incorpoream, dividi debet. Nam divisio substantia in corpoream & incorpoream respicit tantum substantiam completam. Quia itaq; forma non est substantia completa, sed incompleta, utiq; divisione illa non comprehendetur: Nam nihil in ea, quae sub diviso non continentur, dividi debet.

### Theorema IX.

Finis est, cujus gratia res est. Aristot. libr.

5. Met. c. 2. & lib. 2. Phys. cap. 3.

I. Impellit vero finis efficientem ad agendum. Nunquam enim ageret efficiens, si non à fine moveretur, ideoq; haud immeritò omnium causarum prima statuitur, quod tamen de fine in intentione accipiendum est, non in executione, qui omnium est postrema.

II. Distinguitur finis 1. in subordinatum & ultimum. Ille est qui ultimum praecedit: hic ad quem omnia diriguntur & tendunt. 2. in internum & externum. Ille est, qui proximè semper rem insequitur, & quo efficiens nunquam frustratur. Sic benèdicere est finis internus Rhetorices: hic, qui rem constitutam remotius insequitur, ob quod non semper actu obtinetur. Sic persuadere finis est externus Rhetorices. 3. In finem generationis, & rei genita: Finis generationis est, propter quem immediatè generatio suscipitur, ut est forma in rebus naturalibus: Finis rei genita est operatio à forma proveniens.

### Theorema X.

Causatum est, quod ex causa suum esse habet.

Et dicitur respectu efficientis effectum; respectu materiae, materiatum; respectu formae, formatum; respectu finis, finitum. Effectum



*Etum est, quod à causa efficiente materiatur, quod à materia formatum, quod à forma finitum, quod à fine dependet.*

## Corollaria.

I.

An causæ secundæ revera aliquid agant in productione effectus? A.

II.

An detur materia prima? A.

III.

An formæ è potentia materiæ educantur? A.

IV.

An finis semper habeat rationem boni? A.

V.

An sit de essentia finis, ut semper obtineatur? N.

VI.

An alius sit finis artificis, alius artis? N.

VII.


An qui vult finem, semper etiam media velit ad illum destinata? N.


VIII.


An omne causatum realiter differat ab omnibus suis causis tum separatim, tum conjunctim acceptis, ut vult Timplerus lib. 3. Metaph. c. 2. q. 12. ? N.











306. sect. 20. in hac verba erumpens: Omne quod est, a primo principio, aut à primo principio. Unalia dependent igitur. Ergo suâ naturâ omnia corruptibilia. Est itaq; spiritus corruptibilis & corruptibilis natura: nunquam vero corrumpitur; nunquam immortalitate Deo ipsum donavit.

### Theorema II.

Spiritus est vel Angelus, rationalis.

Legitimam hanc esse spiritus divisionem concedere licet. Nam 1. Angelus tantum, & animalia sunt. 2. immortalitate fruuntur. 3. per se existunt. Ergo etiam tantum spiritus existunt.


### Theorema III.

Angelus est spiritus, qui per se in corpore, sed semper extra corpus existit.

I. Dicimus Angelum per se nunquam in corpore existere, sed per accidens tamen id fieri posse, concedimus. quando corpora assumere, ut appareant hominibus. Et testatur Scaliger, Angelos ipsos sibi corpore esse. 359. sect. 13. Verum quia hujuscemodi corpora non sunt, & natura eorum non est, corporibus reformare, merito per se ab omni corporis unionem.

II. Sunt vero Angeli in duplici differentia: quidam mali. Malitiam intelligimus, sed moralem. Diabolus enim ratione essentia, ac Angelus bonus. Quia 1. est Ens. 2. bonum: quia bonum cum Ente convertitur. Quicquid autem à Deo creatum est, bonum est.

A 3



the scale towards document